



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput IV. Idem in Concilio generali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

Santarel. de heres. cap. 45. dub. unic. Gibalinus dict. cap. 5. 3. part. Majolus lib. 2. de irregular. cap. 14. num. 6. quicandem irregularitatem extendunt ad parentes, qui suos liberos rebaptizandos offerunt ad compadres, atque alios cooperantes ejusmodi rebaptizationi, contra quos omnes etiam proceditur per Inquisitores in his regnis. Qualis tamen sit hæc irregularitas, tam respectu rebapti-

zantis, quam rebaptizati, exponit Gibalinus dict. cap. 5. part. 4. per totam. Si tamen aliquis solo verbo absque intentione rebaptizaverit, quamvis graviter peccet, non tamen efficitur irregularis, ut docent Henriquez lib. 4. summe, cap. 4. §. 3. Suarez dict. disput. 31. sect. 6. dub. 4. Gibalinus dict. cap. 5. 4. part. quidem resolvit de rebaptizato per vim & gravem metum.

C A P U T III.

Innocent. III.

TUæ fraternitati. *Et infra*: Super secundo articulo inquisitioni tuæ duximus respondendum, quod clerici, qui sunt de apostasiæ crimine infamati, qui videlicet abjecerunt habitum clericalem, non sunt in sæculari habitu tolerandi, sed per districtiorem ecclesiasticam coercendi, donec deficiente probatione, ad infamiam abolendam purgationem canonicam curaverint exhibere.

N O T Æ.

1. ^a **Innocent. III.**] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. unic.* nullibi tamen exprimitur cui referat Pontifex, sed facile constat, legendum esse *Brixienfi*, ut in *cap. tuæ, de Procurator.* ubi congeffi alias partes hujus epistolæ.

C O M M E N T A R I U M.

2. **I**n hoc textu agitur de clerico in sacris, & majoribus ordinibus constituto, habitum clericalem deserente, qui cogendus est illum reassumere pœnis à jure statutis, videlicet excommunicatione, *cap. si quis ex clericis, de vita & honest. cleric.* privatione fructuum beneficii, *Clement. 1. eod. tit. in carceratione, cap. à nobis, hoc tit.* & jure civili sancitum à Justiniano legimus in *novella 5. cap. 6. novel. 6. cap. 7. novel. 123. c. 15.* ut clerici, qui in ordinibus sacris constituti, iis contemptis ad aliam vitam transissent, pro ratione facultatum, vel Curia civitatis suæ servire cogentur, vel Præsidis provinciæ cohorti, seu officio addicerentur: quod postea mutavit Leo *novel. 7. c. 8.* ubi similes desertores revocari ad priorem statum jubet: idque etiam patet in *cap. quod interrogasti, 27. dist. cap. quem, 20. quest. 1.* grave peccatum est in clerico habitum deserere, ut probat eleganter *Sausay dist. lib. 7. cap. 3. per totum.* Unde talis clericus apo-

stata appellatur; quo nomine tantum notantur magni peccatores Ecclesiæ rebelles, ut Judæi, qui negaverunt Christum Regem suum, à Prudentio ibi:

---- *Formidine rursus*

Plebis apostatica, Dominum quæ cæca negasset. Et hæretici, quos apostatas pronuntiat Tertul. de *prescript.* ibi: *Persequutio martyres facit, hæresis apostatas tantum.* Et Judam proditorem, apostatam dixit Sedulius *lib. 4. carminum.*

Tunc vir Apostolicus, nunc vilis apostata factus. Excusatur tamen clericus non deserens habitum clericalem, veluti si necessitas adit tuendi vitam, honorem, fortunas, aut quidquam aliud simile, ut docent Glossa in *cap. nullus 21. quest. 4. c. in dist. cap. si quis ex clericis*: unde cum quidam reprehenderetur à Pontifice, respondit.

Tutus ut peterem laici sub imagine Romanæ, Fas fuit ut sicerem luxuriare comam.

Item excusantur clerici iter longum facientes, *cap. 3. 21. quest.* ubi ex Synodo Romana sub Zacharia Papa ita legitur: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi secularibus indumentis non utantur, nisi ut concedat tunicâ sacerdotali, præter si in itinere longo ambulaverint.* Sed et si clerici deserentes statum clericalem, apostata dicantur; tamen nisi uxorem ducant, non subsunt Inquisitorum jurisdictioni, ut probat *Salleles tom. 1. de mater. Tribun. lib. 1. regul. 107.*

C A P U T IV.

Idem in Concilio generali.

Quidam (sicut accepimus) qui ad sacri undam baptismatis voluntariè accesserunt, veterem hominem omnino non exuunt, ut novo perfectiùs induantur: cum prioris ritus reliquias retinentes, christianæ religionis decorem tali commixtione confundant. Cum autem maledictus sit homo, qui terram duabus viis ingreditur, & indui veste non debeat ^b lino, lanaque contextâ: statuimus, ut per ^c Prælatos Ecclesiarum talis observantia veteris ritus omnimodè compescatur, ut quos christianæ religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, salutiferæ coactionis necessitas in ejus observatione conservet; cum minus malum existat viam Domini non agnoscere, quam post agnitam retroire.

NOTÆ.

NOTÆ.

^a **Generali.**] Lateranensi videlicet sub Innocentio III. celebrato; ubi cap. 70. reperitur textus hic pro ut in præfenti transcribitur. De hoc Concilio nonnulla notavi in cap. 1. de summa Trinitate.

^b Lino, lanague.] Deuteron. cap. 22.

^c Pralatos Ecclesiarum.] Ad quos tantum, videlicet Inquisitores, spectat apostatarum cognitio; cum apostasia sit ejusdem speciei ac hæresis: unde sicut de hæresi, nec de jure, nec de facto cognoscere potest iudex sæcularis, c. ut inquisitionis 18. §. prohibemus, de hæreticis lib. 6. ita nec de apostasia, siue quæstio facti, vel juris disceptetur. Bordonus tom. 1. sacr. tribun. cap. 9. sect. 2. num. 21. Carena part. 1. de offic. Inquisit. tit. 3. num. 1; Diana part. 4. tract. 1. resol. 12. eth. contrarium defendat Pereyra part. 2. manu Reg. cap. 74. per totum.

COMMENTARIUM.

^{2.} **Ex hoc canone sequens communiter deducitur** assertio: Baptizati si ad ritus Iudaicos, seu paganos dederint, coguntur eos relinquere, & fidem, quam semel professi fuerunt, custodire. Probant eam textus in cap. si quis 4. de penitent. dist. 5. cap. presbyteros 32. §. dist. cap. de his 26. quæst. 6. cap. 2. 3. quæst. 4. Gregor. II. epist. 6. ad Saxones, ad medium, ibi: *Quicumque in vobis susceperunt Christum Dominum nostrum, in ipso ambulanti radicati, & super edificati, & confirmati in fide, & c. Discedite filii ab idolorum cultura, & accedite, & adorate Dominum Deum nostrum, & c. Nicolaus ad consulta Bulgar. c. 18. Qui fidem respicit, quam promissit, ab illo, à quo susceptus est, & qui fidei ejus interventor existit, debet per omnem revocari: at verò si non audierit eum, quem ipse pro se dederat vadem, dicendum est Ecclesie à qua faciente studio majori, ad ovile proprium ovem reduci convenit, qua erravit; & ut ad viam revertatis, qua Christus est, redeat, modis omnibus revocari; siquidem ab ea, tanquam à matre, tanquam à magistra suadendum est illi, quatenus videat, quoniam apostatam spiritum imitatus est, quòd in veritate, non steterit, & c. Concil. Aurelian. 2. can. 19. Catholici, qui ab idolorum cultu se non custodierunt, nec ad integram accepti baptismi gratiam revertuntur, vel qui cibis idolorum cultibus immolatis gustu illicita præsumptionis utuntur, ab Ecclesie coetibus arceantur. Aurelian. 4. can. 15. Si quis post acceptum baptismi sacramentum ad immolata demonibus sumenda, tanquam ad vomitum revertitur, si communius à sacerdote se corrigere ex hac prævaricatione noluerit, à communione catholica pro emundatione sacrilegii suspendatur 6. Synodus in Trul. can. 62. Clericus deponatur, laicus excommunicetur, qui festa Gentilium celebrat. Et can. 95. In eos qui jurant ut pagani, canonicas poenitentias nos & excommunicationem imponimus. D. Basilus ad Amphiloeb. can. 7. 72. & 80. Gregor. Nylsen. epist. 2. canonica: refert Anton. August. lib. II. epist. jur. tit. 4. Illustrant Albaspineus lib. 2. observ. cap. 9. Ricciulus lib. 6. de jure person. per totum, Castro lib. 1. de justa hæretic. punit. cap. 7. & lib. 1. de hæresibus, cap. 4. Suarez de fide disput. 16. sect. 4. Soula in aphorisma. cap. 48. numer. 14. Penna part. 1. Direct. quæst. 9. comment. 24. Salelles lib. 1. de materiis tribun. cap. 13. regul. 107. Carena de offic. Inquisit. part. 2. tit. 3. Bordonus tom. 1. tribun. cap. 9. sect. 2. Murga tom. 2. disquisit. tract. 1. dub. 6. §. 3. Alteterra hic.*

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Ratio dubitandi hujus textus proponenda est ex juris principiis, quæ adduxi pro dubitandi ratione in cap. ad abolendam, de hæreticis: & etiam difficilis est præfens constitutio, dum in ea Patres Concilii Lateran. tantum statuerunt; apostatas à fide catholica cogendos esse ritus alterius religionis deferere. & fidem Catholicam fervare, ac custodire, nullâ sancitâ poenâ in fideles lapsos in apostasiam, cum certum sit eos variis poenis afficiendos esse; juxta canones Ecclesie supra relatos, & alios congestos ab Antonio Augustino in epitome juris, tit. 4. lib. 11. Crespetio in summa, verbo Apostata à fide. Unde minus perfecta, seu integra videtur præfens constitutio; siquidem in omnibus Ecclesie canonibus, in quibus de his Apostatis à religione agitur, semper adjiciuntur poenæ, quibus ipsi apostatæ afficiendi sunt.

Quâ dubitandi ratione minimè obstante, vera est præfens assertio, pro cujus expositione scire oportet, in præfenti agi de apostasia vera à religione; nam quoties sine adjuncto apostasia dicitur, intelligitur apostasia à fide. Est autem apostata à fide, qui omnino à Christiana fide defecit, revertens, seu transiens ad Judaismum, seu Paganismum, l. 1. 2. & penult. Cod. hoc tit. cap. non potest 2. q. 7. cap. contra, de hæretic. lib. 6. qui in ritus Judaicos, seu sacrificia paganorum transeunt. l. 3. C. Theodos. de apostatis, l. 1. & 7. Cod. de Iudeis: inde dicunt violatæ religionis rei, l. 3. Cod. Theod. de Apost. docuerunt Decianus lib. 5. tract. crim. c. 71. num. 4. & cap. sequenti, Farinac. de hæresi q. 183. §. 2. num. 13. D. Thomas 2. 2. quæst. 11. per totam Ricciulus lib. 6. de jure personar. cap. 2. Carena de offic. Inquisit. 2. part. tit. 3. Salelles lib. 1. de mater. tribun. cap. 13. regul. 107. I. Gothofr. ad tit. de apostatis, in Cod. Theodos. Thomas Delbene part. 1. de offic. Inquisit. dubit. 47. Duo ergo copulativè desiderantur, ut quis propriè fidei apostata dicatur. Primum, quod talis recessus à fide sit omnimodus, unde licet Christianus recedat à pluribus fidei articulis, tamen si retineat adhuc fidem in reliquis, hæreticus, non verò apostata est, dicto cap. non potest, cap. beatus 7. quæst. 4. D. Augustin. lib. 18. de civit. Dei, cap. 51. probant Canus de locis cap. 9. Simanc. de Cathol. tit. 7. Rojas de hæretic. part. 1. num. 486. Apostata igitur est, qui totus recedit à fide: hæreticus verò, qui in parte. Unde qui apostata est, hæreticus continuò est, qui verò in hæresi aliqua est, apostata propterea non est. Hæreticus fur dicitur, & latro, Joannis cap. 10. quasi qui è verbo Domini aliquid intercipit, & quasi contrectat: apostata plus quàm fur, qui totum surripit, quin & se ipsum, veluti fugitivus Christi servus efficitur, ut exponit Mancinus lib. 1. de triplici juri, collat. cap. 146. Secundò desideratur, quod recessus ipse sit à fide catholica, unde qui ab improba secta in aliam reprobam se transfert, veluti è paganismo ad Judaicam perfidiam, ve Mahometismum, apostata non dicitur, ut probant Campegasus de dote quæst. 77. Jul. Clarus in praxi crimin. §. final. q. 7. num. 4. cum enim Christianæ militiæ nunquam nomen dederit, non est ratio quare possit ejus defertor judicari, argumento legis 4. §. idemque, l. manumissiones, ff. de just. & jure, l. decem, ff. de V. O. Sed si quis baptizatus sit de novo verè, nec sub debita forma, distinguendum est, an ipse ignorans defectum baptismi à fide recedat, an post recessum nullitas baptismi detegatur, quo casu apostata dicitur, & ut talis puniendus est. Castro lib. 1. de hæretic. punit. cap. 8. quæst. 3. ad finem, Ricciulus

Ricciulus *de jure person. lib. 6. cap. 3.* Bordonus *tom. 1. sacri tribun. cap. 9. sect. 2. num. 11.* Ratio est, quia quamvis iste baptizatus non esset baptismo fluminis, baptizatus tamen erat baptismo fluminis; & si contingeret ipsum ita decedere, salvari posset, *cap. final. vers. Nullus, de pœnit. dist. 7. cap. debitorum, de baptismo, c. 2. de presbytero non baptizato.* Quare talis ad hoc nihil differt ab eo, qui juxta Ecclesiarum ritum baptismum suscepit, vel sciebat se baptizatum non esse, & non curavit baptizari, & tamen pro tali ab omnibus existimari contendebat: quo casu licet in foro poli apostata judicari non possit, tamen in foro fori iisdem pœnis plectendus est, quibus & ceteri apostatae puniuntur; quia cum ipse tanquam Christianus se gesserit, & ut talis velit à ceteris fidelibus haberi, & honorari, utique talis præsumitur, ut resolvunt Bordonus *suprà*, Ricciulus *dist. lib. 6. cap. 3. num. 5.* quia quilibet debet judicari juxta habitum quem defert, *l. item 15. §. si quis virginem, ff. de injuriis, cap. in audientia, de sent. excom. cap. si iudex, eod. tit. lib. 6.* & tanquam Christianus talis debet Christianorum legibus subijci argumento legis *Judai, C. de Judais.* Accedit quia non debet esse in alicujus potestate Christiani nomen sic ementiri, ut Christianorum inter fideles fruatur honoribus, pœnas autem si dei transgressoribus inflatas evadat, cum qui sentit commodum, sentire debeat incommodum, *l. secundum, ff. de R. l. cap. charitatem 12. q. 4. cap. accedentibus, de privi.* Sicut etiam hæreticus reputatur, non solum qui verè est Catholicus, sed etiam is, qui cum verè Catholicus non sit, tanquam talis se gerit, argumento legis *1. C. si minor se majorem, Castro de just. hæretic. punit. lib. 1. cap. 8.* Simanc. *de Cathol. tit. 31. n. 5.* quia in hac parte plus operatur opinio, quam veritas, *cap. final. de presby. non baptiz.* Ricciulus *suprà, num. 6.* Et hæc apostasia committitur per transitum ad ritus Judaicos, *cap. contrà, de hæret. in 6. Simanc. de Cathol. tit. 35. num. 9.* Eymericus *p. 2. direct. q. 44. num. 1.* Farinae. *de heresi q. 178. n. 136.* quia non solum verbis, verum & factis Deus negatur, *cap. existimant 84. n. 1. immò facta potentiora sunt ad explicandum animum, quam verba, l. si tamen 48. §. et quis, ff. de adul. edict. l. de quibus, ff. de legibus, cap. dilecti 52. cap. ut nostrum 56. de appellat. Cicero 3. Tusculan. Quæd verba audiam, cum facta videam?* Castillo *lib. 3. contro. cap. 107. n. 17.* Ideo convictus, aut confessus de actibus, seu cæremoniis Judaicis, damnandus est ut apostata, etsi animum, intentionemque negaverit, *cap. filii, cap. contrà, de hæret. in 6.* Sylvester verbo *Hæresis 1. q. 7.* Anania in *cap. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis, Repertor. Inquisit. verbo Apostasia, Simancas tit. 10. num. 9. & tit. 50. num. 5.* Farin. *de hæresi q. 178. n. 139.* Et quamvis hoc casu reum subijciendum esse torturæ super intentione, docuerint Simanc. *de Cathol. tit. 65. num. 52.* & in *Enchrid. tit. 29. n. 10.* Penna *p. 3. Direct. comment. 110.* & alii, hoc tamen procedit quando cæremoniæ à reo factæ dubiæ sunt, veluti je unia; secus verò si cæremoniæ sint reprobatae suâ naturâ, ut circumcisio, celebratio Paschæ Judæorum, aut similia, quæ ex se hodie mala sunt, unde interpretari nequeunt in bonam partem, quia in quolibet facto attenditur ejus natura, *l. si unus 27. §. pactus, ff. de pactis, l. cum filius 76. alias 78. §. hæres meus, ff. de legat. 2. c. ab exordio 3. 35. dist. Laet. Firmian. lib. 3. divin. inst. cap. 15.* Nihil interest quo animo facias, quod fecisse vitiosum est, quia facta cernuntur, animus non videtur. Unde si quis convictus, vel confessus reperitur actus qui

suâ naturâ ad Judaicam religionem, vel aliam improbatam sectam spectant, tanquam apostata statim damnandus est, nullâ torturâ præcedente. De eo tamen, qui defert tantum vestes Gentilium, aut Judæorum proprias, an dicatur apostata, examinatur *Suarez de fide disp. 14. sect. 5.*

Circa illum autem, qui coactè, & per vim fidem catholicam abnegavit, vel Idolis sacrificavit, cor de tamen fidem retinuit, dubium est. Et quando coactio est præcisâ, sive absoluta, nempe quia omnino renitens, ligatus manibus, & pedibus circumciditur, vel ejus genua flectuntur coram idolis, nullo modo apostata judicatur, *c. presbyteros 31. 50. dist. cap. constat 1. q. 1.* docent Penna *ad Eymericum, p. 1. Direct. commentar. 24.* Simanc. *tit. 27. num. 19.* Salelles *suprà, regul. 107.* Bordonus *dist. c. 9. sect. 2. num. 14.* Ratio est, quia eo casu pati potius, quam agere videtur, *cap. sacris, ubi notavi, de his quæ vi, ideoque pœnam non meretur, l. fædissimam, C. ad leg. Jul. de adul.* Si verò vis illata non fuit præcisâ, sed conditionalis, quamvis gravis, veluti mortis, seu cruciatus, tunc verè apostata, seu hæreticus dici non potest, cum corde credat, & non adsit error pertinax, qui ipsum separare possit à communione fidelium, *cap. non solum 85. 11. q. 3.* Sanchez *lib. 2. summa, cap. 7. num. 8.* Ricciulus *dist. lib. 6. cap. final.* Peccat tamen ipse lethalius, quia potius pati mortem deberet, quam fidem abnegare, juxta tradita in *dist. c. sacris*: tum etiam quia licet coactè negat, negat tamen, quia voluntas coacta, voluntas est, *cap. majores. §. final. de baptismo, l. si pare, ff. de ritu nuptiar.* Quamvis enim nolit Christum abnegare, tamen eligit illum negare potius, quam pati pœnam comminatum, *cap. non solum 11. q. 1. cap. qui merito 15. q. 1.* Et quia Ecclesia non judicat de occultis, *cap. 1. de clandest. despons.* ipsum in foro exteriori ut suspectum de hæresi punit, *can. 2. Apost. ibi: Si clericus ob mortem Judæi, Græci, vel hæretici negaverit nomen Christi, ejicia tur, si nomen clerici deponatur, sed post pœnitentiâ ut laicus suscipiatur, Concil. Ancyranum can. 4.* De his, qui per vim immolarunt, & cœnam sumperunt cum idolis, quicunque habitum meliorem profecti sunt, & veste pretiosiore accubuerunt, annu audiant, triennio subijciantur, biennio tamen oratione tantum communicent, postea ut in integrum restituantur. Et *can. 6.* De his, qui minis punitiois, & ablationis honorum, & exiliu sacrificaverunt, & ante hanc diem non eos pœnituerit, neque conversi sunt, tempore autè hujus Synodi reverti cogitant: Placuit, ut hinc ad magnam diem Paschæ ad audiendâ recipiantur; post eam diem triennio pœniteant subiecti, & post aliud biennium communicent in oratione sine oblatione: & ita in integrum restituantur sexennio completo. Si qui verò ante Synodum suscepti fuerint ad pœnitentiâ, ab eo tempore initium sexenni ducant. Si quod verò mortis periculo ex morbo, aliave causa evenerit, recipiantur. Et *c. 8.* Ubi bis, vel ter per vim sacrificaverunt, quadriennio subiecti pœnitent, biennio autem sine oblatione communicent, septimo integrè recipiantur. Concil. Arelat. *2. can. 10.* De his, qui in persecutione prevaricati sunt, si voluntariè fidem negaverint, hoc de eis Nicæna Synodus statuit, ut quinque annis inter catechumenos exeat, & duos inter discipulos communicantes, ita ut communionè inter pœnitentes non præsumant; in potestate tamen, vel arbitrio erit Episcopi, ut si eos ex animo errorem destitit, & agere pœnitentiâ viderit, ad communionè pro ecclesiastica humanitate suscipere. Et c. Si qui vero dolore victi & pondere persecutionis, negare, & sacrificare compulsi sunt, duobus annis inter catechumenos, triennio inter

ritu
tio deci-
dendi.

inter poenitentiam habeantur à communione suspensi. D. Basilii ad Amphylo. h. cap. 80. Qui in barbarorum incurfione fidem in Christum violaverunt, factis sacramentis Gentilibus, & quibusdam nefariis, qua idolis magicis oblata sunt, ab eis gustatis, à secundam leges à Patribus jam editas, & canones dispensentur.

6. De poenitentia apostatarum. Deinde ut ad poenas Apostatarum perveniamus, sciendum est, tanta cum execratione tales desertores primis Ecclesiae saeculis habitos fuisse, ut baptizatos ab eis iterum baptizandos esse asseruisset D. Basilii ad Amphylochium can. 1. & illis venia etiam in exitu vitae denegabatur, ut refertur in l. 3. Cod. de apostatis, & late probavi in cap. 1. & 26. Concilii Illyber. observavitque Albaspineus lib. 2. observ. cap. 9. cum duobus sequent. & I. Gothofr. in l. 5. Cod. Theodos. hoc titulo. Sed postea à Concilio Nicæno poenitentia data fuit: & Syriacus Pontif. epist. 1. ad Himerium Tarracon Episcopum, cap. 3. apostatis nullum poenitentiae tempus praescripsit, sed toto vitae cursu eos poenitentiam agere, & à sacra communione, praeterquam in articulo mortis, arceri voluit. Deinde haereticorum poenis apostatae puniuntur, cap. contra, de haeretic. in 6. Unde cum poena capitis iure civili in haereticos lancita fuisset, l. Manichaeos, l. Arriani, Cod. de haereticis, eadem in apostatas statuta fuit, l. 5. Cod. de apostatis; itidem bonorum praescriptio, l. 7. Cod. Theodos. de Iudaeis: perpetua infamia in utroque testamento factio, l. 1. Cod. de apostatis, l. 11. Cod. de fide restium, in Theodos. privantur utraque testamenti factio, l. 1. & 2. Cod. Theodos. eod. tit. & contra similes desertores fidei proceditur in Tribunalibus sanctae Inquisitionis eodem modo ac contra haereticos, concessa eis poenitentia revertentibus ad fidem Catholicam, & inuncta poenitentia per tempus congruum in carcere cum habitu, juxta tradita supra in cap. excommunicamus, §. 1. de haeretic. & si relapsi sunt in apostasiam, traduntur omnino brachio saeculari, ut poena mortis afficiantur. Immo in his Tribunalibus Hispaniae major pars caularum fidei est apostatarum à religione, circa quos versatur eadem praxis, quam circa haereticos retuli supra hoc tit. de haeretic.

7. Tradit. His suppositis ratio praesentis decisionis ex eo provenit, quia qui post professionem fidei Catho-

lica, ritus Judaicos, aut Paganos sectatur, tali commixtione polluit veram religionem, quam professus est, cum simul utramque religionem colere nequeat. Unde rectè PP. Concilii Lateran. statuerunt in praesenti, ut talis observantia veteris ritus omni modo compescatur, ut quos Christianae Religioni liberae voluntatis arbitrium obtulit, salutaris coactionis necessitas in ejus observatione conservet, ut etiam dicitur in cap. resuscitatus, de poenit. dist. 1. & si lapsi fuerint, per poenitentiam redeant ad fidem, & gratiam, quam amiserant, ut de D. Petro ait sanctus Ambrosius sermone 47. ibi: Fidelior factus est Petrus, postquam fidem spondisse deservit, atque ideo majorem gratiam reperit, quam amisit. Relatus in cap. considerandum, 50. dist. cap. fidelior, eodem.

8. Dissolutio vitae dubitanda. Nec obstat dubitandi ratio supra expensa; nam licet Patres Concilii Lateran. in praesenti non imponant poenam desertoribus fidei Catholicae, & ritus Judaicos, seu paganicos sectantibus; non negarunt tamen eos debitis poenis puniendos esse, immò dum sanxerunt, similes apostatas cogendos esse per judices ecclesiasticos, veteres ritus Gentilicos, seu Judaicos abjurare, aperte supponunt debitis poenis per sacros canones veteres, & novos statuti compescendos esse, & cogendos Catholicam religionem, quam semel professi fuerunt, custodire, & retinere. Manet ergo, fidelibus Christianis non licere, postquam à Judaica perfidia, seu Gentilismo ad fidem Catholicam pervenerunt, veteres ritus colere, aut ad pristinam superstitionem redire. Unde in praesenti exponendi sunt textus in canone 1. 2. 3. 46. & 55. Concilii Illyber. quorum interpretationem in eorum notis adduxi: & textus in can. 35. Synodi Laodic. in illis verbis: Non oportet Christianos relinquere Ecclesiam Dei, & abire, atque angelos nominare, & conventus facere. Si quis in ea idololatria reperiatur, anathema sit, quod reliquerit Dominum nostrum filium Dei pro idololatria. Quem exposui in cap. conquestus, de feriis: & textus in can. 9. Concilii Tolet. 2. in illis verbis: Ne Iudaei more suo celebrent Pascha, vel carnis circumcissionem exerceant. Quem de Iudaeis conversis, & ad veteres ritus redeuntibus, exposui in cap. Iudaei, de Iudaeis.

8. Dissolutio vitae dubitanda. & variis canonibus remittuntur.

CAPUT V.

Archiepiscopo a Tyrensi.

A Nobis expetit tua fraternitas edoceri, quid de apostatis sit agendum, cum in custodia detinentur, eo quod a minis, vel blanditiis nullatenus possunt induci ut abjectum monachalem habitum reassumant. Ad quod tibi breviter respondemus, quod tales, si volueris, potes sub gravi custodia carcerare, ita quod solummodo sibi vita misera referretur, donec à suae praesumptionis nequitia respiciant.

NOTA.

a Tyrensi. In sexta collectione legitur Tyrensi: sed in quinta compilatione Honorii III. habetur Tyrensi, ex qua inscriptionem, & litteram transcribo. De Metropoli Tyrensi nonnulla adduxi in cap. 8. de offic. Ordini. in praesenti autem rescribit Honorius Archiepiscopo, quia forte monachi illi, de quorum apostasia agitur, non

erant exempti, immò potius ejus jurisdictioni parebant.

b Minis, & blanditiis. Quia apostatae tam blanditiis, quam rigore revocandi sunt ad monasterium, ut doctè, & late probat Theophilus Raynaudus tom. 17. tract. de apostasia à religiosis ordinibus, cap. 18. per totum.

c Carcerare. Juxta Ecclesiae disciplinam, quam illustrabimus in cap. novimus, de V. S.